



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 107. Bragantiæ Dux Patriam redire a Rege Lusitano permissus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Secul. XV. A.C. 1496. Pagi solitum tributum pendere recusa-  
rent, illos ad officium armis compellere  
statuit, sui que consilii participem reddi-  
dit Tingis Præfectum, qui ambo colle-  
ctis viribus ad præfatos pagos contende-  
bant, eo animo, ut illos omnino expo-  
liatos demum comburerent. Ast incau-  
tius incidebant in quoddam validissimum  
Maurorum agmen, cui Barraxa & Al-  
mandaria, ambo Duces ea ex gente ce-  
teris animi fortitudine longe celeberrimi,  
imperabant; nihilominus Lusitani Mau-  
rorum exercitum, quamvis numero lon-  
ge superiorem, profligant, ac potissima  
eorum parte trucidata, ceteros in fugam  
agunt. Interea Rex ingravescente pesti-  
lencia, Montemaurana Comitata solvere  
compulsus, ad jejunii verni initia Se-  
tubaliam secessit, ut Reginam Viduam,  
ac Isabellam sororem suam officiosa salu-  
tatione ibidem præveniret.

## §. CVII.

*Bragantiæ Dux in Patriam redire  
a Rege Lusitano per-  
missus.*

*Marian. ib.  
n. 72.*

In hisce Comitibus regni Ordines expone-  
bant, Alvarum Bragantiæ Ducem, qui  
post Patris sui obitum relicta patria in  
Castellam aufugere cogebatur, unacum  
liberis



liberis suis in Lusitaniam revocandum esse. Rex ipse ad concedendam redeundi libertatem sat propensum fovebat animum: verebatur tamen, ne malam præcipitis consilii notam sibi inureret, sui que Prædecessoris memoriam diffamare argueretur, si ab eo sancita mox sub primis regni sui auspiciis immutaret: aliunde etiam, cum solium nondum satis firmum teneret, prudentiæ leges dictabant, ut suorum animos plurimum sibi devinciret, minime vero illos, qui longo temporis spacio horum exulum bona ærario addicta tranquille possidebant, irritaret: prævalebat tamen filialis ejus in Ducissam Matrem pietas & amor, suarumque sororum, ac propinquorum preces, jugibus permixtæ lacrimis. Ergo Filium, ac Bragantiæ Ducis liberos, cunctosque, qui hos regno proscriptos sequebantur, revocat, in illos vero, qui horum bona sibi vendicabant, in damni compensationem adeo liberali manu beneficentia effundit, ut neminem mutatae conditionis suæ poeniteret, unde per universum regnum generosus Regis animus plenis buccis deprædicabatur: quinimo iidem, quibus propriæ utilitatis ratio Principum horum reditum dissuadere videbatur, ejusdem revocationem suo quoque suffragio comprobare, amica quadam vi compellebantur.

§. CVIII.